



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

**Exacta Observantia S. Constitutionum Urbanarum, à
Innocentio XII. Pontifice Maximo impensè præcepta Fr.Fr.
Minoribus S. Francisci Coventualibus Provinciæ
Coloniensis: ac munita clementissima ...**

Wissingh, Anton

Coloniæ Agrippinæ, 1700


[urn:nbn:de:hbz:466:1-49637](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49637)





Jh. 2876.

J. VI

19.







Wissingh, Ant., O. Min.

EXACTA
OBSERVANTIA

S. Constitutionum Urbanarum,
à SS. D. N.

D. INNOCENTIO XII.

Pontifice Maximo impensè
præcepta

Fr. Fr. Minoribus S. Francisci Conven-
tualibus Provinciæ Coloniensis :
ac munita

clementissima protectione, &
manu tenentia Reverendissimorum,
Eminentiss. Sereniss. Celsiss. ac Illustrissimo-
rum DD. S. R. E. Cardinalium Archi-Episco-
porum, Electorum, Episcoporum, Prin-
cipum, ac Magnatum Provinciæ
Coloniensis.

Ad typum parata studio

*P. Antonij Wissingh de Siegburgo,
Artium & SS. Theologiæ Doctores in
Alma Universitate Trevirensi, Provinciæ Colo-
niensis de Tribus SS. Regibus, dicti Ordinis
FF. Minorum S. Francisci Conventua-
lium Ministri Provincialis, &
Commissarii Generalis.*



COLONIÆ AGRIPPINÆ.

Typis PETRI ALSTORFF. Anno 1700.

Advocata Franciscanæ Religionis.



Summa Deus Trinitas piè intuere,
Has FRANCISCI plantulas riga, & tuère.
MARIA has pallio Matris contuère,
Maternôque gremio digneris fovere.
Gregi tuo provide FRANCISCE Fundator,
Gregem Christi sanguine munda Refor-
mator. †



*Eminentissimo, ac Reverendissimo
Principi, ac Domino*

**D. LEANDRO
COLLOREDO,**

S. R. E. Cardinali Amplissimo, Pœnitentia-
rio Majori, ac totius Seraphici Ordinis
Minorum Conventualium S. Francisci
Protectori inclyto, Domino
Patrono Clementissimo &c.

*Eminentissime ac Reverendissime
Domine.*



*Uoniam Seraphica Religionis nostra
Fundator inclytus S. P. Franci-
scus, eam, ut stabilius consisteret,
subsignavit V. Sacris Christi vul-
neribus, eamque substravit materno pallio ac
presidio B. V. MARIÆ, tamquam specialis
Advocata: insuper ex S. R. E. Cardinalibus ei
Patronum ac Protectorem perpetuo presicien-
dum sancivit in Regula c. 12. his verbis. Ad
hæc per obedientiam injungo ministris, ut*

A 2

pe-

4
EPISTOLA

petant à Domino Papa unum de S.R.E. Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, & Corrector istius Fraternitatis; hinc èt ego, quoniam ante annum evulgatum de S. Communitate opusculum gratiam protectionis invenit in oculis Eminentia Vestra, utpote Clementissimi Protectoris nostri, & exinde nactum fuit confidentiam, ut intrepidè pergeret per orbem, postquam propitiam sibi sensit S. Urbem; majorem nunc concipio fiduciam huic, dicti opusculi superveniens consummationi, ut ad eundem refluat oceanum, è quo defluentes ad nos sorbuit propitiationis & clementia liquores.

Quod dum audeo, nil aliud intendo, nil aliud molior, quàm ut perficiam id, quod clementissimo voto mihi apprecari & jubere dignata fuit Eminentia Tua in ultimis literis de 5. Decembris anni lapsi 1699. his verbis: Interim CHRISTUS JESUS, qui pro nostra descendit salute, tuam & mentis & corporis fovere dignetur, ut pro communi Religiosorum bono incessanter possis laborare -- nec animum debes remittere &c. Et in prioribus de 25. Decembris anni 1698. ita me, meosque in bono confirmare dignatur Eminentia tua: Constantes estote in tam sancto proposito, nec ab incepto desistite, donec Christus formeretur in omnibus, & quæ in professione promissa sunt, sanctè atque inviolabiliter custodiantur, &c. Itaque parendo justis his Eminentie Tuae mandatis, pro communi bono laborare usque

DEDICATORIA.

usque huc non cesso, immo pro Deo, pro causa Dei
& S.P.N. Francisci, proque ejus sacra Religio-
ne, qua mihi pia Mater est, ut (si gratia Dei pro-
pitia fuerit) esse possit sine ruga, sine ma-
cula.

Et, sicut Tua Eminentia clementissima prote-
ctioni principaliter in acceptis refero opusculi di-
cti auspiciam, & quantulumcumque in pio opere
profectum, ita & ejusdem perfectionem amplio-
rem, immo perfectam (si Deus dederit) consum-
mationem multiplici sollicitudini, Paternaque
cura, ac clementissimo patrocinio Eminentia Tua
adscribam, prout ideo quoque nunc inscribo, con-
secro, ac dedico praesentes pagellas, & in eis conten-
tas alias ac sanctas Eminentissimorum ac Sere-
nissimorum Magnatum intentiones, quia Prin-
cipum, hinc tuae Eminentia utpote S.R.E Prin-
cipis & Poenitentiarii Majoris sacro sigillo con-
credendas; ne Satan intentionem sanctam impe-
diat, aut occursum malis speratum ejus effectum
retardet.

Omnes boni mecum optant, & vehementer de-
siderant, ut, sicut utriusque literariis operis,
ita & operati effectus maneat Protector incly-
tus, felum cum parente iuveni numquam desi-
stens. Ita et supplicat S. Religio nostra: Sic
orat S.P. N. Franciscus: sic Mater Dei ob-
secrat: sic sacra Jesu Christi Vulnera ex-
poscunt & desiderant. Vota haec multiplicia

6 EPISTOLA DEDICATORIA.
coadunando, sacratas manus Eminentia Tua
demississimo reverentia & gratitudinis affectu
in spiritu deoscular,

Eminentissima ac Reveren-
dissima Celsitudinis Tuae

Infimus, devotissimusque cliens,
ac obedientissimus Servus

Fr. ANTONIUS WISSINGH
M. P.

Pan



*Pax & Salus
Patribus ac Fratribus.*

Solicita cura pro mea, vestra, omnium-
que nostrum salute, pro honore Ordinis
nostri, pro decore & exaltatione S. Ma-
tris Ecclesiae, pro summa Dei gloria, nunc ite-
rum in hoc anno Jubileo provocat animum
meum ac calamum; ut, quia hic tertius est &
ultimus annus ministerii mei, vos excitare
iteratò satagam, ac commonere ad obser-
vandam fortiter, quod gratia Dei operata est
in vobis. Quod ut fiat efficacius; cum Apo-
stolo, Act. 20. 26. *Contestor vos hodierna die, quia
mundus sum à sanguine omnium: non enim
subterfugi, quò minus annuntiarem omne consi-
lium Dei vobis-- Vos scitis, quomodo nihil sub-
traxerim utilium, quò minus annuntiarem vobis,
& docerem vos publicè, & per domos-- propter
quod vigilate, memoriâ retinentes, quoniam per
triennium (ministerii mei) nocte & die non
cessavi, cum lacrymis monens unumquemque ve-
strum. Videte, & cavete, ne intrent post dis-
cessionem meam lupi rapaces in vos, non parcen-
tes gregi: & ne ex vobis ipsis exurgant viri lo-
quentes per versa, ut abducant discipulos post se,*
à me,

§

ADHORTATIO

à me, à Regula, à S. Francisco, & piâ observan-
tiâ.

Ea propter vos in sancto proposito con-
tineat, ac in sancto Dei timore, & Constitu-
tionum observantia perseverare faciat Sum-
mi ac Pientissimi Pastoris nostri INNOCEN-
TII XII. tâ sollicita & indefessa paterna cu-
ra, Eminentissimi Protectoris nostri *Cardina-
lis Colloredi* infatigata pastoralis sollicitudo,
Reverendissimi *P. N. Generalis* adhortatio tam
seria, variorumque Eminentissimorum, Sere-
niss. Reverendiss. Illustriss. Celsiss. Archi-
Episcoporum, Principum, Electorum, Mag-
natum coinvirans clementissima adpromissa
protectio, & manu-tenentia. Ecce ! tam
multiplicata coadjutoria & excitatoria etiam
desidi & inertii levem facerent S. Constitu-
tionum Urbanarum *exactam observantiam*,
& justissimè erubescere facient unumquem-
que fortè tergiversantem. Audite ergo !
Deus clamat, conscientia ligat, professio ur-
get. S. P. N. Franciscus in cælo & de cælo
collætabitur nobis de fetu novæ prolis suæ.
Cum illo in hoc anno sancto jubilemus, per
interiorem nostri ipsorum renovationem, ut
cum illo tamquam veri filii ejus, ac imitato-
res non pigri æternum jubilum cantare me-
reamur in cælis, de victoria nostri, carnis,
mundi, & diaboli, Amen. Sic agite, sic sta-
te, sic currite charissimi, orantes pro vestro
in

AD FRATRES.

9

in Christo Ministro , cui nihil magis cordi est, quàm communis Nostra salus, Decor Ordinis, ac Gloria Dei. † *Deus interim, qui dedit vobis hanc observantia voluntatem , donet & facultatem. Et conterat Satanam sub pedibus vestris, precibus Sanctissima V. MARIÆ, quæ caput Draconis conterere accepit in potestate.* Ita Eminentissimus Card. N. Colloredus in literis de 17. August. 1699. infra citandis.

Ad Lectorem benevolum.

A Mice Lector, quòd specialem ante paucas hæc pagellas non reperias approbationem, ratio hæc est; *tum* quia continent talia , quæ vel sunt præviè in aliis libris , è quibus deprompta sunt, approbata ; vel sunt Magnatum ac Ordinariorum Rescripta seu edicta , quæ sese ipsa approbant, & alienam seu ulteriorem approbationem non expolcunt , immo nec admittunt. *Tum etiam* vel maximè , quia pagellæ hæc tendunt in *Urbem* , ut sese præsentent Sanctissimo D. N. Pontifici Summo ac Capiti Ecclesiæ , ab eodem approbandæ , à quo jam confidenter præsupponunt sui approbationem , eò quòd contineant vel ipsius mandatum ac Decretum,

A 5

aut,

IO ADHORTATIO ADFRATRES.
aut Constitutiones ab eo approbatas, aut ta-
lia quæ consonant ipsius Sanctissimæ dispo-
sitioni.

De hoc admonendus erat Lector bene-
volus; Criticus autem, quia amicâ
admonitione non eru-
ditur, transi-
tur.



CAE




CAPUT I.

De exacta observantia S. Constitutionum Urbanarum.

Paragrophus I.

*Hæ Particulæ exacta observantia declarantur,
& exponuntur.*

I.  *Exactus, a, um*, derivatur à verbo *exigo*, ut videlicet significet perfectam & accuratam observantiam illius, quod per legem seu legislatorem à subdito legis *exigitur*. Germanicè idem significat *exactus*, quod *aufgemacht* / id est, perfectus: hinc germani superiores de re bene & optimè se habente solent dicere in vulgari sermone: *es ist aufgemacht* / id est, res hæc se habet tam bene, ut nec exigat, fortè nec patiatur additionem, utpote habens suum complementum. Secundùm hanc acceptionem, ut in Dei servitio *exactus* esset *S. P. N. Franciscus*, diu noctuque Dominum Deum rogavit (prout legitur in vita ejus)

ut posset agnoscere & facere omne id & solum id, quod qualitercumque exigeret ab eo Deus. Et S. Franciscus Xaverius scribens S. Ignatio, ut in hoc genere foret *exactus*, preces ejus pro se his devotissimis verbis exposcit: *Te rogo, Pater anima mea, summèque mihi venerandè, positis humi genibus, tamquam si presentem intuerer suppliciter oro, ne Deum pro me obsecrare desistas: ut, dum vita suppediat, Sanctissima voluntatis sue mihi det & planè agnoscenda, & omnino exequenda facultatem.* l. 2. epist. 8. in fine.

II. Per hoc quoque secernitur solers & fervens religiosus à deside & inerte, quòd hic circa illud agnoscendum non multùm occupetur; ille verò continuò hoc sancto negotioso otio exerceatur, ut agnoscere valeat, & perficere, quidquid ab eo exigit Deus per Regulam, Ordinis Constitutiones, aut obedientiam qualitercumque innotescentem. Itaque *exacta observantia* Constitutionum idem significat, quod sollicita, perfecta, punctualis, completa, absoluta, in nullo deficientis; nam, *quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus,* Jacobi 2. 10.

III. Hinc Fr. Minor Conventualis tam sollicitè custodiet S. Constit. Urbanas (utpotè sub peccato mortali vel veniali obligantes, pro diversitate materiæ) sicut animam suam. Ad qualem custodiam arbitretur se audire ad hoc

S. Constit. Urbanarum. 13

adhortantem & jubentem Deum, Deut. 4. 9. *Custodi igitur te ipsum & animam tuam sollicitè.* Et c. 24. 8. *observa diligenter -- facies quacumque docuerint te sacerdotes, juxta id, quod praecepi eis, & imple sollicitè.* Et 2. Tim. 2. 15. *sollicitè cura te ipsum probabilem exhibere operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis.* h. i. Non autem rectè tractant illud, qui Constitutiones secundum suum privatum sensum, & infectum affectum sinistrè interpretantur, vim inferentes verbis, eaque ad sensum ineptum detorquentes contra mentem legislatoris.

IV. Palam est insuper, quòd ab hac *observantia exacta* deficient tam superiores, quàm subditi illi, qui sibi faventia, & aliis praejudicialia ac odiosa utrâque manu arripiunt, sicut furiosi gladium, clamantes, *crucifige, crucifige,* at in sibi odiosis literam circumcidunt, ut sensum pervertant, nolentes intelligere, ut bene agant, legis vinculum fugientes, excutientes, technis circumpalliantes; at horum *mentitur iniquitas sibi*, Psal. 26, volunt, & non volunt, juxta illud: *piger vult, & non vult.* Prov. 13. 4.

V. Fratres mei in visceribus JESU Christi dilectissimi, & desideratissimi, pro quorum animabus tenebor reddere rationem in die novissimo, ne, quæso, simus de numero eorum (*Hypocritas nominat tales, & his similes Veritas & Sapientia incarnata*) de quibus qui-

quidam Reverendissimus & Illustriss. mihi verissimè dixit: *Speculativè volunt, practicè nolunt servare Constitutiones Urbanas: q. d. in actu signato buccis plenis concrepant: nos volumus servare Constitutiones Urbanas, nil contra, nil ultra (O præclari oratores, & vocales observatores!) at in actu exercitio, digito nolunt eas tangere; nec tamen verentur inepta interpretatione, ac si soli rectum saperent, illas circumcidere.*

Paragraphus II.

Ardua obligatio Fratrum Minorum Conventualium, voventium in professione S. Constitutiones Urbanas.

I. **Q**Uoniam S. Constitutiones Urbanas solenni voto in professione vovent omnes Fratres (prout expressè inquit R. d. P. N. Generalis Felix Rotondi in Responsionibus ad XVI. Articulos, de quibus S. S. D. N. Innocentius XII. distinctè voluit informari, art. 1.) Et hinc *Idem observantia rigor Constitutionibus debitus est, qui Regula ipsi debetur* (ut dicitur in iisdem in c. 1. Regulæ tit. 6. §. 4.) Ea propter meritò quicumque Fr. Minor Conventualis justo timore concussus, seipsum excitabit, & animabit ad illarum *exactam observantiam*; maximè, cum talem Summus Vicarius Christi, per quem loquitur ipse Christus,

stus, tam impensè urgeat, tam paternè, tamque solictè inculcet, & præcipiat.

II. Proinde *vovete & reddite Domino Deo Vestro*, Psalm. 79. 12. *Siquid vovisti Deo, ne morèris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio. Sed quodcumque voveris, redde; multoque melius est non vovere, quàm post votum promissa non solvere.* Eccle. 5. 3. *Deus non irridetur*, Gal. 6. 7. utpote qui mandat *mandata sua custodiri nimis*, prout notat, & inculcat omnibus nobis *Reverendiss. & Illustriss. Horatius Philippus Nuntius Apostolicus Colon.* in Rescripto protectionis suæ & mantententiæ, infra adducendò. Glossas contra apertam veritatem non recipit Summus Judex metuendus nimis, cuius justo iudicio heu quàm multi per frivolas glossas, & interpretationes damnati sunt ad pœnas perpetuas! A quib⁹ *interpretationibus* seriò absterret S. Congregatio Em. DD. Cardinaliù in Decreto edito 1695. 18. Julii sub moderno SS. INNOCENTIO XII. his verbis: *Ad extremum eadem S. Congregatio Regulares omnes cujuscumque ordinis & instituti sint, Sanctitatis suæ verbis seriò admonet, & in Domino obtestatur, ut omni mora postposita, sicuti Filios obedientiæ decet, ad Regula, quam amplexi sunt, prescriptum vitam instituunt & componant, decretisque Apostolicis, pro aeterna eorum salute edictis sincerè ac fideliter pareant: nec ab eorum observantia inanibus inter-*

terpretationibus & fallaciis, aut relaxationum
prætextibus ad excusandas excusationes in pec-
catis abduci se finant. &c. h.i.

III. Hanc sanè gravissimam ex dicta pro-
fessione nostra obligationem maturè & seriò
ponderavit *Eminentissimus Protector* Ordinis
nostri *Cardinalis Colloredus* in *Epistola exara-
ta* *Rassimo & Illustrissimo D. J. Petro* *Epi-
scopo Adrianopolitano Suffraganeo Monaste-
riensi* de 17. Octobris 1699. sic scribens: *Ma-
jorem enim hac non habeo gratiam, quàm ut vi-
deam Fratres meos in veritate ambulare, eaque
sanctè custodire, quæ NB. formidando illo voto-
rum pondere sponponderunt &c. h.i. In veritate
autem illi ambulant, qui, quales se profiten-
tur nomine, tales se præstant in opere. Ve-
ritas in prædicando supponit veritatem in es-
sendo. Fratrem Minorem se vanè & falsò
jactitat, qui Frater Minor esse in opere & ve-
ritate non laborat.*

IV. Hinc, sicuti Alexander Magnus justè
increpuit desidem & inertem in suo exerci-
tu militem, Alexandri nomine insignitum,
exprobravitque dicens: *aut Alexander esto,
aut nomen Alexandri deponito.* Ita S. P. N.
Franciscus Minorum Fundator inclytus justè
singulis exprobrat, quos in grege suo desides
& degeneres sequaces lustrat: *aut in veritate
Fr. Minor esto, aut Fr. Minoris nomen deponi-
to.* Si vis dici Minor Conventualis, sis in
veritate talis; talem utique non inanis jactan-
tia,

tia, sed seria & exacta observantia Constitutionum Urbanarum, quas vovisti, te coram Deo faciet.

Paragrophus III.

Exactam observantiam *S. Constitut. Urbanarum FF. Minoribus Conventualibus Provincia Colon.* recenter serio precipiunt *SS. D. N. Innocentius XII. Pontifex Maximus, Eminentissimus Protector Cardinalis Colloredus, & insuper Reverendissimus P. N. Generalis.*

I. **M**andatum S. Sedis circa hanc exactam observantiam in authenticis literis mihi p. t. existenti Ministro Provinciali transmisit Pataviô die 10. Novembris 1698. Reverendissimus P. N. Generalis Felix Rotondi de monte Leone, sub hoc verborum tenore. *Summus Pontifex Innocentius XII. in D. Petri Cathedra hodie feliciter regnans mihi humillimè ad suos sanctissimos pedes in principio mei regiminis provoluto viva vocis oraculo Apostolica benignitate mentem aperuit, esse, ut Fratres nostri Ordinis Minorum Conventualium NB. exactè Constitutiones Urbanas observarent; uti Eminentissimo Cardinali Colloredo nostri ejusdemque Ordinis Protectori*

clementissimo notum est. h. i. Pergit in iisdem literis.

II. Quapropter NB. tota nostri Ordinis summa consistit, ut Fratres Conventuales vivant ad prescriptum Sacrarum Constitut. Urbanarum, quas solemniter professi sunt, quatenus distincti ab Observantibus, Reformatis, & Capucinis, ceterisque Regularibus cujuscumque alterius Ordinis & instituti. Ut Sacra pariter Congregatio super disciplina Regulari de anno 1695. die 15. Julii ab eodem sanctissimo D. N. Innocentio Papa XII. specialiter deputata novissime exprimit &c. h. i. In iisdem literis iterum iterumque nominat, mandat, & inculcat Reverendissimus P. N. Generalis exactam observantiam S. Constitutionum Urbanarum.

III. Eminentissimus quoque Protector noster Cardinalis Colloredus hanc exactam observantiam verbis valde feris inculcat primo in Epistola prima Romæ de 25. Decemb. anni 1698. dum mexæ exiguitati sic scribere dignatur: Bonnus Nuntius de terra longinqua advenit, quod paternarum traditionum emulatores facti, ac vestrae professionis non ignari, ea fueritis animo meditati, quæ Seraphici instituti Cultores maxime decent, ut nimirum abdicantes proprietatem & secularia desideria, vitam vestram exinde instituire disposueritis NB. juxta exactam normam S. Constitut. Urbanarum, quæ tanto discretionis sale sunt aspersæ, ut quasi scelus idola-

lolaria sit nolite ipsis acquiescere, NB. illasque ad amissim fervare. h. i.

Secundo in secunda Epistola, Romæ de 14. Febr. 1699. sic scribere dignatur: *Quod me uberius reficit, tua est in voto paupertatis, atque in exacta Constitutionum Urbanarum observantia indefessa cura: cui adversari multos non miror; arcta est enim via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniant illam. - - quæ quid exigant, & quomodo velint sanctæ paupertatis observantiam practicari, clarissimè exhibentur tit. XIX. inc. 3. Regule, tum tit. 1. & seqq. inc. IV. Regule, quæ discutere non pigebit. &c. h. i.*

Tertio in tertia Epist. Romæ de 15. Aug. 1699. *Observantiam debes reducere ad normam S. Constitutionum Urbanarum. &c.*

Quarto, & quidem apertius in Epist. ad Sereniss. ac Reverendiss. Archiepisc. Colon. S. R. I. Principem Electorem Josephum Clementem, Romæ, de 16. Maij 1699. sic scribit:

Quemadmodum Sanctissimo Domino nostro id ipsum jam significavi: qui ob laudabilem hunc Serenitatis vestræ zelum quantocyus per primum suum Ministrum Nuntio Coloniensi mandavit, ut exactè invigilet ad solam & puram observationem S. Constitut. Urbanarum, quæ unica basis & fundamentum exemplaris mantenentiæ dictæ Religionis existit: cujus tenor dum in aliqua parte deficit, etiam debitum Filiorum Seraphici Patris deficit. Et si prædictus Pater

Provincialis Antonius Wiffingh, aut alius quispiam ex conventu suo jurisdictioni subiecto à prefatarum Constitutionum prescripto abscedere vellet, id ipsum non solum velle tamquam minus honorificum interpretari, sed etiam primariis Ordinis Praefectis ac Capitibus de tentata novitate conquerendae materiam praebere posset. Cum hodie (prout Serenitas vestra facile comprehendit) non res exigui momenti sit, dum in dicta Provincia enuntiatae Constitutiones per omnia observabuntur. h. i.

IV. Reverendissimus P. N. Generalis, praeter ea, quae in hoc S. n. I. ab eo scripta recensui, in Epist. familiari dat. Venetiis 30. Julii 1697. confirmando me in ministerio meo, sic adhortatur: *Observantiam regularem ad prescriptum nostrarum S. Constitut. pro viribus propagare non desines.* h. i. Idem in Respons. ad Articulos Ss. Domini N. à 2. sic pie supponens de singulis, inquit: *Quidquid continetur in Constitutionibus, NB. punctuatum observatur.* h. i. Quem mendacem facimus, nisi punctuali, id est, exactâ Observantiâ correspondeamus.



Paragrophus IV.

*Minister Provincialis in Ordine Minorum
Conventualium non tantum ratione editi jura-
menti, sed etiam ex speciali precepto in Con-
stitut. Urbanis contento, obligatur ad
zelandum exactam observan-
tiam illarum.*

I. **D**Ebita juramento (à me edito valde
serio animo in initio ministerii mei)
reverentia, & obedientia me semper
excitavit, animavit, ac confortavit ad zelandum
& introducendum arduam quidem specie-
tenus & inusitatam quoad aliqua principalia
puncta in Provincia nostra, attamen obligato-
riam tam vi juramenti ex parte mea, quam vi
professionis ex parte omnium Conventualium,
observantiam exactam S. Constitut. Urba-
narum.

II. In formula hujus juramenti inter alia ha-
bentur quoque hæc verba: *Toto mea guber-
nationis tempore (quantum in me fuerit) ad-
nitar studiosissime, ut Regule, & Constitutionum
observantia in Provincia hac N. exquisitè cola-
tur, & vigeat; ita ut ad verum Dei cultum &
regularem disciplinam, si quid ad meliorem for-
mam redigendum comperero, non patiar, ut cu-
ramea, labor, studium, atque industria deside-*

rentur. --- Præterea testem invoco Dominum
 Jesum Christum, quòd omnia & singula conten-
 ta in Constitutionibus, ac Decretis officium me-
 um tangentibus (quantum in me erit) in viola-
 tione observabo, ac ut ab omnibus mea cura subjo-
 ctis servantur, diligentissimè curabo. &c. Ita
 ego idem Frater N. spondeo, voveo, & juro. sic me
 Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evange-
 lia. h. i.

III. Præceptum speciale zelandi exactam ob-
 servantiam S. Constitut. Urbanarum inculca-
 tur ministris Provincialibus, in initio, & fine il-
 larum, & quidem à tunc existente Reverendissi-
 mo P. Generali Felice Franceschino Cassiano his
 verbis: Superiores verò nostri Ordinis cujuscum-
 que gradus monemus, eis que in virtute S. Obe-
 dientie strictè mandamus, ut, postquam apud
 illos præsentibus Constitutiones publicata fuerint, in
 id sedulo incumbant, ut ab omnibus observen-
 tur. Sciantque semel ipsos de subditorum inob-
 servantia ac contumacia; & Deum, & nos ri-
 gidam ab ipsis exacturos rationem. h. i.

Et in fine dictarum Constitutionum arctius
 hoc præceptum ex- & imprimatur his verbis:
 His itaque salutaribus præceptis sanctissimisque
 Urbanarum Constitutionum Decretis Fratres
 omnes pro animarum zelo, totiusque Religionis
 salute, toto cordis totoque mentis affectu horta-
 mur, & ad salutaris obedientia meritum sub-
 poenitè passim in eisdem Constitutionibus latè
 præcipimus, ut sigillatim in Domino pareant,
 fir-

firmiterque obediant. Ministris que propterea Provincialibus, Visitationibus, Commissariis, Custodibus, Guardianis, aliisque Superioribus presentibus & futuris, ut omnia & singula superius decreta, statuta, seu quomodolibet ordinata observent, & pro viribus ab aliis NB. exactissime servari faciant, ad eorumque observantiam pœnis (cum fuerit opus) severius agant, durosq; durè compellant, precipimus pariter & mandamus. Si enim (quod absit) harum Constitutionum observantia negligetur, frustra animarum saluti, Religionisque decori, quòd obnixè desideravimus, tot laboribus & sudoribus consultum foret. h. i.

IV. Hoc itaque gravissimo onere gravati ac obligati obligent suos Ministri Provinciales. Quòd dum faciunt, imaginentur sibi, quòd (ut aptissime dixit quidam Reverendiss. & Illustriss. Dominus) ad jugum Domini, seu arcam Dei ferendam applicarint boves & vaccas. Boves calcitrabant quidem, interim nihilominus trahabant arcam, 2. Reg. 6. 6. Vaccæ etiam licèt mugientes, attamen pergentes ibant in directum: & itinere uno gradiebantur, & non declinabant neq; ad dexteram neq; ad sinistram. 1. Reg. 6. 12. Cur mugiebant? quia vitulos eis abstraxerant, domique recluserant. Ita & licèt mugiant, murmurent, plorent Religiosi animales ac imperfecti vitulos suos, scilicet indomitos pecuniarios affectus, & loculos noxiæ suæ libertati abstractos, & in justæ servitutis exilium relegatos;

mugitus hic transitorius est, naturalis est, animalis est, & eò magis condonabilis, si tractus sub jugo Domini magis serius sit: hinc conniveant ad tempus Ministri: non enim transitur ab extremo ad extremum nisi, per medium: mugitus hic non durabit perpetuum: *Grische Bund heylt nicht zur Stund. Tempore curatur, quòd ratione nequit. Consuetudo consuetudine vincitur,* ait Thom. Kemp. Tenello fetui condescendendum est.

Paragaphus V.

Provincialis Minister Coloniensis Provincia non improvidè fecit, pro exacta observantia S. Constitut. Urban. inter suos Patres & Fratres inducenda, & jam præviè ab Apostolica Sede præcepta, implorando protestationem, assistentiam, & mantinentiam Magnatum dicta Provincia.

I. **F**eci id ipsum ideo, quia experientiâ didici, quòd, ubi ferventes ac zelosi Dei servi amore filiali, ac timore sancto quasi trahuntur ad currendam divinorum viam mandatorum, ibi homines animales, in via Dei tyrones, pusilli ac imperfecti citius ac fortius propelluntur timore aut respectu humano non malo *de se*. Hos proinde metus amittendæ
Pri-

Principum gratiæ continet in recta semita, qui alioquin propria voluntate, & noxia libertate abducerentur in invia : & quos offensa Majestatis invisibilis, ejusque vindictæ metus non cœrcet, hos subinde immò sæpe Principum visibilium formidata autoritas inter cancellos legis comminantis conclusos tenet.

II. Probè noverat S. Synodus Tridentina, plurimum conducere ad Ordines Religiosos reformandos autoritatem & assistentiam Reverendissimorum Episcoporum ac Celsissimorum Principum (*quos Deus sanctæ fidei, Ecclesieque Protectores esse voluit, Sess. 25. de reformat. c. 20.*) Hinc in alia materia, Sess. 25. de Regularibus c. 5. *universis Episcopis sub obtestatione divini judicii, & interminatione maledictionis aeternæ precipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis, ordinariâ, in aliis verò, Sedis Apostolicæ auctoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maximè procurent: inobedientes atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacunque appellatione postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Quod auxilium ut prabeatur, omnes Christianos Principes hortatur sancta Synodus, & sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda omnibus Magistratibus secularibus injungit. h. i.*

NB. Hæc autem Magnatum Protectio in

causa nostra, utpote circa Regulares mendicantes exemptos petita & accepta est, non ut coactiva, sed ut defensiva.

III. Implorando autem hunc Principum & Magnatum favorem & assistentiam in hac Dei causa protegenda, non delinquitur contra Canonem pœnitentialem XVI. in Constitut. Urbanis: nam ibi solùm prohibetur nobis, *Principum aut Prelatorum favorem vel gratiam implorare ad gradus & dignitates assequendas, seu ad obedientia resistendum. Quod facientes, utraque voce, omnique legitimo actu per biennium privantur, & ad officium sive gratiam imploratam inhabiles sunt. h. i.*

IV. Porrò implorationem hujus Magnatum assistentiæ à me factam gratam & ratam habuit *Eminentissimus noster Protector Cardinalis Coloredus, scribens Reverendissimo, ac Serenissimo Archiepiscopo Colonienſi Josepho Clementi in suprâ cit. Epist. his verbis: In primis Serenitati vestrae debitas gratias ago de utilitate, quàm totus Ordo, ac præcipuè Provincia Colonienſis de tam pretiosa assistentia Serenitatis vestrae in hac causa perceptura est. h. i.* Insuper in fine Epistolæ rogat eundem Serenissimum, ut ulterius in dicta causa protegere, assistere, seu manu-tenere dignetur, his verbis: *Quapropter Serenitatem vestram hisce debire rogandam duxi, quatenus in hisce terminis à parte sua, secundum paternam opinionem Sanctissimi, manu-tenentiam predicti Patris Provincie*

vincie

vincialis urgere non gravetur ; prout ego pro
mea persona quoque manu tenebo, h. i.

V. Idem Eminentissimus Protector noster
Cardinalis in Epist. ad Reverendiss. & Illu-
striss. D. Joannem Petrum Episc. Adrianopol,
Suffraganeum Monaster. hac in causa sic scri-
bit : Ut autem tam pium opus crescat in dies, ne-
que sit Satan, aut occursum malus, qui absterre-
at, non cesso quàm epistolis, quàm precibus curare ;
ac magnam in primis repositam spem habeo in
Dominationis tuæ Illustrissima, ceterorumque
hujus Provincia Præsulum humanitate, qui qua
pollent auctoritate, atque existimatione, unà
cum Illustrissimo Nuntio Apostolico (ad quem
pluries scriptum fuit) opus Dei cominus urge-
bunt, h. i. En ! Eminentissimus nostræ Sera-
phicæ Religionis Protector non solum deside-
rat, ut Reverendissimi & Serenissimi hujus Pro-
vinciæ Præfules hanc causam Dei, hoc opus
Dei promoveant, manu teneant, sed insuper
supponit, & gratum habebit, quòd NB. urge-
bunt. Et hoc ipsum ego quoque secundum
mentem hujus nostri Protectoris Cle-

mentissimi desidero, & à dictis
Præsulibus reverenter, fer-

venter, & ardentem
peto.



Para

Paragraphus VI.

Onus summæ obligationis, incumbens Ministro Provinciali Ordin. Minorum Conventualium S. Francisci, ad reformandas sue Provinciae Conventus iuxta normam Sacr. Constitut. Urbanarum, eruitur ex infra adductis textibus, ex iisdem Constitutionibus fideliter adductis.

1. **S**I notabilis negligentia deprehendatur Provincialium in promulgandis Decretis, diplomatibus, & oraculis sive sanctissimi D. N. Summi Pontificis, sive Ss. Congregationum; à suis officiis deponantur. *In c. 1. Regulatit. 7. §. 2.*

2. Superiores illi omni gradu, & officio ipso facto priventur, ad eaque inhabiles perpetuò censeantur, qui mendacem licentiam se concedere posse testarentur, ut Fratres possint in particulari possessiones seu bona stabilia possidere, aut usu eorum potiri. *in c. 4. Regulatit. 7. §. 2.*

3. Ministri verò, alique omnes, ad quos spectaverit, Superiores diligenter inquirere, an apud se vel apud alios Fratres nostri pecuniam quovis prætextu possideant, vel retineant, teneantur; & quos deprehenderit, graviter, se-

verèque ut proprietarios puniant, easque pecunias in publicum ærarium conferant &c. *ibidem tit. 8. §. 6.*

4. Quapropter nihil, quod eorum partium sit, omittant Prælati, ut supra Gregem suum invigilent; ne commissarum eis ovium sanguis de manibus eorum requiratur. Ac pro comperto habeant, quod (ut inquit D. Gregorius) non potest esse Pastoris excusatio, si lupus ovem rapiat, & Pastor nesciat. *ibidem tit. 9. §. 11.*

5. Disquirat Generalis Minister, num præsertim Provincialium quisquam in turpi proprietatis vitio contra Constitutionum statuta sordescat -- num demum regularis disciplinæ cultum, harumque Constitutionum observantiam pro viribus diligenter promoverit, &c. *in c. 7. Reg. tit. 24. §. 3.*

6. Si in Generali Capitulo noviter factæ fuerint, aut ex jam factis abrogatæ, immutatæ, vel innovatæ Constitutiones -- earum transcriptum Ordinis sigillo munitum Provinciales Ministri in suas Provincias ad exactissimam observantiam deferant, *in c. 8. Reg. tit. 25. §. 3.*

7. In eo, qui ad Provincialatus officium assumendus est, ea necessariò requiruntur ornamenta virtutum, ut bona imprimis fama, & apud omnes existimatione laudabilis sit, nulla proprietate notatus -- regularis disciplinæ zelo insignis, Constitutionum observantiæ addictus, eisque animi dotibus exornatus, quas in Gene-

rali Ministro requirendas esse monuimus. *inc. 8. Reg. tit. 35.*

8. Inter causas particulares depositionis Ministri Provincialis hæc ponitur: si Seraphicæ Regulæ, harumque Constitutionum Urbanarum observantiam negligat, seu ad ejus profectum non labore; si demum Conventuum reformationi, juxta Alexandri VI. decretum, cum affectu totis viribus nõ intendat. *in c. 8. tit. 37. §. 2.*

9. Custos Custodum in Generali Capitulo referat quoad Provinciale, an munera recipiat, in visitationibus pro debito incumbat, an reformationem procuret, an ad effectum ea deducat, quæ Capitulum statuit - - an demum in Spiritu & virtutibus proficiat, sive potius deficiat. *in c. 8. Reg. tit. 42. §. 5.*

10. Inter causas depositionis Prælatorum Ordinis ponitur: si Constitutionum, regularisque disciplinæ observantiam oppugnare conperiantur; vel eam ita non tueri, ut manifestas, graves, & enormes culpas atque delicta juxta Ordinis statuta corrigere ac punire neglexerint. *in c. 8. Reg. tit. 50. §. 5.*

11. Harum Urbanarum Constitutionum observatio per Visitatores hujusmodi quàm diligentissimè in Religione introducenda est. *inc. 10. Reg. tit. 1. §. 5. & ibid. §. 7.* Visitatores diligenter perquirant - num ab eis Constitutionum observantia excolatur - - si quos verò sive in studiis, sive extrà, Seraphicæ Regulæ, Urbanarumque Constitutionum hujusmodi trans-

transgressores quodcumque invenerint, eos acriter corrigant, ac pro transgressionis, & delicti qualitate etiam puniant.

12. De autoritate Ministri Provincialis in sua visitatione statuitur, prout sequitur. Provincialis Minister, ut aptius suam Provinciam possit in officio, & obedientia continere, in omnibus iis, quæ ad visitationem, & morum correctionem subditorum sibi Fratrum spectaverint, jus & potestatem habeat, ea omnia ordinandi, moderandi, puniendi, ac juxta sacrorum Canonum sanctiones exequendi, quæ illi ex prudentia sua pro præfatorum subditorum emendatione, ac Provinciæ utilitate necessaria videbuntur. Nec in his, ubi de visitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam interposita, executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoque modo impediatur, aut suspendatur.

in c. 10. Reg. tit. 3. §. 1.

13. Si quis reformari noluerit, vel sacras has Constitutiones Urbanas contempserit, vel damnaverit, aut aliis terrorem contra earum observantiam incusserit, vel contra eas conspiraverit, sive Prælati, qui reformationi incubuerint, impio ore detraxerit, carceri ad Superioris arbitrium mancipetur, omnibusque legitimis sive paternitatis, seu aliorum quorumcumque graduum, & officiorum actibus ad biennium privetur. Quod si pertinax

in

in sententia perstiterit, velut incorrigibilis puniatur. in c. 10. Regula, ut. II. can. pœnit. 2. de spernentibus, ac deridentibus Constitutiones, & Reformationem Ordinis.

NB. Ex his evidenter liquet, quàm formidandum onus Ministri Provincialis humeris impositum sit. Proinde si obligationi sui officii satisfacere cogatur, & nitatur, subditi ei non indignentur, nec renitentur, sed placabili animo se conformantes, & subjicientes, recordentur (prout monet ac jubet Seraphicus P. N. Franciscus in nostra Regula cap. 10.) quòd propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Unde firmiter præcipio eis, ut obediant suis Ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino observare, & non sunt contraria animæ suæ, & Regulae nostræ. h. i. Super quæ verba scribens Seraphicus Doctor, ait: quòd à Fratibus Minoribus exigatur exactior obedientia, & generalior respectu suorum Superiorum, quàm ab aliis Religiosis, vi Professionis ab iis editæ, in Ordine ad suos Superiores.

Ut autem saluberrima hæc obedientia tibi, O Fr. Minor, non fiat onerosa; sit voluntaria, sit humilis, sit prompta, sit propter Deum assumpta, sit oleo devotionis delibuta, sit melle charitatis condita; & ita fiet sapida, & plurimum fructuosa (ut ait S. Bern. ad Fratres suos.) Proinde Frater charissime, cum juxta Apost. I. Tim. I. 5. Finis Precepti (addo ego, & obedientiæ) sit charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide

fide non ficta; termino hoc monitorium verbis illis, quibus S. Franciscus de Sales terminavit Tractatum de amore Dei; itidem S. Augustinus admirandum sermonem de charitate, his scilicet, in quibus continetur

Exhortatio ad F. Minorem Conventualem.

Quae gratia, & favore charitatis scripta sunt tuae charitati, opto, ut taliter inhareant cordi tuo, ut charitas hac inveniat in te fructum sanctorum operum, non autem folia encomiorum, Amen. & h. i.

NB. In bonitate, disciplina, scientia, & honore
Voluntatem Dei faciam perpetuo amore.
In Geistlichkeit und Sittlichkeit/Wissens-
schafft/ und Ehren
Will ich den Willen Gottes thun/ in
Liebe ohn Aufhören.

Hac Gnome erat Adm. Rdi. Exim. P. Magistri Honorii von der Ehren | trina vice Provincialis Prov. Colon. & variarum Provincialium Commissarii Generalis, Minor. Conventual. Qui in multis restituit bonitatem, disciplinam, scientiam, & honorem. Sit ei merces perpetua in caelis, cujus honor prostat in terris. Amen. &

C

CA-

CAPUT II.

De his, quæ incumbunt Fratribus Minoribus Conventualibus servanda, vi voti paupertatis.

QUoniam *Exacta observantia S. Constitutionum Urbanarum* quàm maximè extenditur ad ea, quæ in his præscribuntur & præcipiuntur *de religiosa paupertate, eliminanda proprietate, ac vita communitate &c.* hinc ex eisdem Constit. Urban. in has pagellas transferam, & fideliter adducam textus illos, qui potissimum de dictis tribus capitalibus punctis tractant.

Paragaphus I.

In quo verbo tenus adducitur Decretum S. Congregationis &c. specialiter concernens Ordinem nostrum, prout ex verbis illius sat aperte colligitur.

TEXTUS Constitutionum hic est in c. 4. Regule de paupertate in communi Tit. I. §. I. Post varias controversias circa paupertatis votum à Religionis nostræ Fratribus obser-
van-

vandum, placuit Sanctissimo Domino nostro
URBANO Papæ VIII. Infrâ Scripto Sacræ
Congr. Apostolicæ visitationis Decreto ea
omnia stabilire, quæ pro conscientia-
rum securitate ab iisdemmet nostris Fra-
tribus circa ejusdem paupertatis votum ser-
vanda sunt. *h. i.*

*De abdicanda Proprietate in par-
ticulari.*

Decretum Sacræ Congregationis
Apostolicæ Visita-
tionis.

AD extirpandum proprietatis vitium, Sacri
Concilii Tridentini vestigiis inhærentes,
omnibus Ordinis nostri Fratribus districtè
prohibemus, ne quisquam eorum bona im-
mobilia, vel mobilia, cujuscumque qualita-
tis fuerint, proventus, redditus, census, pecu-
nias, etiam ex eleëmofynis, concionibus, alio-
ve labore, aut consanguineorum, seu aliorum
largitione, etiam intuitu personæ datas, aut
aliàs quovis modo ab eis acquisitas, vel acqui-
rendas tanquam propria, aut etiam nomine
conventus possideat, vel teneat; sed statim ea
Superiori tradantur, conventuique incorpo-
rentur, & confundantur, prout nos ex nunc
ea applicamus, incorporamus, & confundi-
mus,

mus, & pro applicatis, incorporatis, & confusis haberi volumus & mandamus. Decernentes, Superioribus Bona stabilia alicui Ordinis nostri, etiam ad usum fructum, vel usum, administrationem, sive commendam concedere non licuisse, neque licere; ideoque omnes & quascumque licentias, facultates, & indulta, si quæ etiam à Generali Ministro quovis modo; vel ex quacumque causa contra prædicta concessas, seu concessa, vel quæ in posterum concedi contigerit, revocamus, & abolemus, & pro revocatis & abolitis haberi volumus, & in futurum, ne concedantur, districtè præcipimus.

Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conventuum ad solos Officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat. Mobilium verò usum ita Superiores permittant, ut eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit, nihil tamen, quod sit necessarium, eis denegetur; quorum omnium Registrum Superiores apud se habeant, & singulis annis revideant; Fratresque ea vendere, donare, aut aliter alienare non valeant, quòd si quis aliter fecerit, vel quid (etiamsi pecunia sit) tenere deprehensus, aut convictus fuerit, biennio activa, & passiva voce privatus sit, atque etiam juxta nostras has Constitutiones puniatur.

Pecu-

Pecuniæ verò, aliæq; res quæcumq; Fratrum intra viginti quatuor horas tradatur Superiori, in comune conventus ærariū reponendæ, triplicique clave custodiendæ, quarum una penes Guardianum pro tempore existentem, duæ verò aliæ penes duos alios Fratres singulo quoque anno per Conventum eligendos, conferentur, ex quibus subministrato exhibitori, quantum religiosæ ejus necessitates (statûs, valetudinis, laborumque ratione habitâ) exoptulare videbuntur: reliquum penes ærarium remaneat. & arbitrio duarum ex tribus partibus Capituli seu Congregationis Provincialis singulis annis faciendæ erogetur. Quod verò à Superiore ipsi traditum fuerit, vel undecumque ad ejus manus pervenerit, memorato Superiori de eo rationem ad omnem ejus nutum reddere teneatur, sub pœna contrafacientibus privationis activæ & passivæ vocis per triennium qualibet vice, aliisque arbitrio Superiorum ipso facto incurrendæ.

Sacra Congregatio Apostolicæ Visitationis supra scriptum Decretum de abdicanda proprietate in particulari, de mandato S. D. N. URBANI divina providentia Papæ VIII. per Plures Sessiones examinavit, & tandem die veneris 13. Julii 1627. illud cum omnibus in eo contentis probavit, & inter ceteras Constitutiones hujus Religionis Conventualium inseri, & exequi mandavit.

In quorum fidem, &c. A. Episc. Bellicastr. Sec.
Sequitur in textu Constitutionum.

Cum igitur nil magis in votis sit, quam pro animarum salute, & conscientia Fratrum securitate, Decreti istius sanctissimi pura & omnimoda observantia; nonnulla præscribere, quæ ad eam inducendam & conservandam necessaria visa sunt, æquum duximus. h. i. *Quæ ibi per ordinem in sequentibus paragraphis præscribuntur pro administratione legitima Bonorum temporalium. Vide ibi.*

Paragraphus II.

Ponitur Titulus septimus Constit. Urban. de usu mobilium, in Cap. IV. Regula.

I. **U**Sus rerum, quæ unicuique Fratrum ad proprias sublevandas necessitates tribuuntur, certus, determinatus, & ad Superioris nutum revocabilis sit, eorumque suppellex statui paupertatis, quam professi sumus, conveniat &c. *prout in Decreto supra.*

II. Possessiones autem, sive bona quæcumque stabilia Fratres etiam de Superiorum licentia (licet eam se concedere posse contra veritatem testarentur) nullatenus possidere possint, nec usu eorum potiri. **Superio-**

periores autem hujusmodi omni gradu, & officio ipso facto priventur, ad eaque inhabiles perpetuò censeantur. Transgressores verò & possidentes proprietatis crimen & pœnas, præfata etiã non obstante mendaci licentia, ipso facto incurrant.

III. Ad expressum verò Superioris consensum in concessione mobilium explicandum, etsi sola Superioris vox in foro conscientiaë satis esset, propter forum tamen exterius, consensus hujusmodi scripto per Conventus Officiales exarato, subditoque ad conservandum tradito explicetur. In libro verò Inventarii concessa notentur, eique adnotationi subditus ipse propria manu subscribat.

IV. Præcipitur autem & statuitur, ne ullus Fratrum, sub pœna privationis omnium legitimorum actuum, pro se, aut pro alio debita contrahat, neve exteris aut sæcularibus quibuscumque pecunias, etiam per Procuratores mutuò dare, aut libros sive alias quas-cumque res etiam usui suo assignatas, ac etiam ex expresso (ut præfertur) Superioris consensu, vendere, sive in pignus tradere, aut in alium quemlibet usum quoquo pacto transferre audeat. &c.

Paragrophus III.

*Ponitur Titulus octavus Constit. Urban. de particularium Fratrum eleemosynis,
in c. IV. Regula.*

I. Particularium Fratrum eleemosynæ, & pecuniæ, propriâ industriâ, vel alio quolibet modo ex quibusvis tum manualibus tum literariis exercitiis acquisitæ, & per Conventus Officiales, vel (si id commodè fieri non poterit) per se ipsos receptæ, in communi conventus ærario asserventur, ex iisque vestiarium & reliquæ omnes religiosæ necessitates ipsis suppeditentur: quòd si hujusmodi pecuniæ, & eleemosynæ non sufficiant, ex redditibus Conventuum Fratrum indigentis applicatis suppleatur.

II. Si autem particularium Fratrum necessitatibus ex particularibus eleemosynis reparatis, aliquid ex ipsis supererit, id nullo modo è Deposito, vel Ærario extrahatur, vel in alios usus convertatur, sed ibi usque ad provinciale Capitulum seu Congregationem fideliter asservetur.

III. Capitulum verò seu Congregatio, cui de superflite pecunia (& nulli alteri) dispositio demandatur, habita ratione locorum, temporum, & personarum, quidquid sibi in
Domino

Domino expedire videbitur, de ipsamet pecunia statuat & decernat, vel ut pro iisdem Fratrum futuris nimirum personalibus necessitatibus reparandis asserventur, vel ut ad aliquam communitatis, ac nativi Conventus necessitatem, sive utilitatem applicentur.

IV. Decernitur itaque firmiterque præcipitur, ut Fratres omnes & singuli, intra viginti quatuor horarum spatium pecunias omnes quomodolibet acquisitas Superiori tradere, & consignare teneantur. Quòd si occurrat, Fratres ante Capitulum & Concionibus redeuntes suarum eleëmofynarum pecunias ad Superiores (uti tenentur) deferre, Communique Deposito præsentare; Superior, ut diligenter usque ad peractum Capitulum asserventur, sedulo curet; eo verò peracto, si Fratres aliò de familia profecturi fuerint, ipsismet reddantur, eò quò proficiscuntur, deferendæ, factâ proinde, atque ad illum Conventûs & loci Superiorem, ubi is de familia degere debet, transmissâ seu statim transmittendâ, & pecuniarum ipsarum, & aliarum quas defert, singularum rerum distinctissimâ notulâ.

V. Qui autem suæ professionis, sui que voti oblitus secus attentare præsumperit, adeo ut infra præfarum temporis spatium pecunias quomodolibet (ut præfertur) acquisitas, seu largitas celasse, sive malitiosè apud semet,

vel apud alios retinuisse deprehensus fuerit, biennio utraque voce privetur ac insuper juxta harum Constitutionum Decreta velut propriarius puniatur.

VI. Ministri verò, aliique omnes, ad quos spectaverit, Superiores, diligenter inquirere, an apud se, vel apud alios Fratres nostri pecuniam quovis prætectu possideant, vel retineant, teneantur: & quos deprehenderint, graviter, severèque ut propriarios puniant, easque pecunias in publicum ærarium conferant. Si quis autem elemosynam à quovis sibi datam autoritate propria dispensare ausus fuerit, ab eo Conventu, ubi de familia degit, expellatur.

Paragraphus IV.

Ponitur Titulus nonus Constit. Urban. de modo reparanda necessitatis, & evitanda superfluitatis, in cap. IV.

Regule.

I. **A**Nte omnia singulis Provincialibus Ministris præcipitur, ut juxta Sacri Concilii Tridentini Decreta, Apostolicas sanctiones, & Sacræ Congregationis Visitationis Apostolicæ statuta, in unaquaque provincia alendorum Fratrum præscriptio fiat: quâ diligenter factâ, maximè opus

opus est, ut Prælati ipsi, quibus ex injuncto Regulæ præcepto incumbit, omni vigilantia, charitate, & solertia ea omnia, quæ singulis Patribus non ad victum & vestitum tantummodo, verum & ad infirmitates sublevandas, ad studia prosequenda, ad itinera peragenda, ad labores reficiendos, & ad consimilia quæcumque onera perferenda necessaria erunt, paternâ benignitate & sollicitudine, nullâ (quando necesse fuerit) dilatione factâ providere debeant; habitâ tamen ratione ad ea, quæ pro reparandis Ecclesiæ, & Conventus necessitatibus juxta felic. record. Pauli V. Decretum assignanda sunt.

II. Quapropter quibuscumque singularum Provinciarum Capitulis seu Capitularibus Congregationibus, post harum Constitutionum promulgationem proximè & immediatè celebrandis, sub obrestatione divini judicii, firmiter ad meritum salutaris obedientiæ præcipimus, & mandamus, quatenus omni aliâ omisâ (si opus fuerit) curâ, omnique postposito gravi negotio, in hoc unum præcipuè & singulariter intendant, ut de succurrendis Fratrum necessitatibus certum hoc & infallibile Decretum stabilietur.

III. Cujuslibet Conventus redditus & Eleemosynæ tam certæ quàm incertæ supputentur, earumque pars in specie nominan-

minanda, & ad id dumtaxat deputanda, quæ discreto Capituli conventus iudicio, pro præfatis Fratrum in eo Conventu de familiâ degentium necessitatibus sufficiens visa fuerit, applicabitur, & in nullos alios usus ullo umquam etiam urgentissimæ necessitatis prætextu, seu ullâ cujuscunque auctoritate converti possit, sed ad effectum præcisè dictarum necessitatum fideliter asservetur.

IV. Quòd si contingat portionem hanc non esse sufficientem, superiori locali præcipitur, ut ex ceteris Conventus redditibus, seu Eleemosynis tantam quantitatem præfatæ insufficienti portioni adjiciendam excipiat, quantam ad easdem prædictas Fratrum necessitates sublevandas necessariam esse compererit.

V. Hæc autem reddituum seu Eleemosynarum portio pro Fratrum prædictorum necessitatibus applicata quolibet anno, tempore congruo ab eodem Capitulo statuendo, si in pecuniis non fuerit, ad pecunias redigatur, quæ in commune Conventus depositum inferantur, ac tali lege custodiantur, ut nemini ex superioribus, neque Guardiano, aut Provinciali, vel Visitatoribus, nec etiam Ministro ipsi Generali, aut Conventus ejusdem Capitulo, nisi pro præfatis necessitatibus reparandis, eas ullo modo impendere liceat.

VI. Si verò de pecuniis reddituum unius anni jam ad effectum necessitatum (ut præfertur) Fratrum applicatorum aliquid supererit , nemini ex Superioribus nominatis, aut Conventûs Capitulo in alios usus eas convertere, vel, ut alii convertant, imponere, neque diminuere, seu diminui facere ullatenus liceat : illarum enim quæ supererint, pecuniarum, Fratrum necessitatibus jam reparatis, omnino & absolutam dispositionem Capitulo Provinciali, seu Capitulari Congregationi proximè celebrandæ tantummodo reservamus, ac reservatam esse volumus, & decernimus.

VII. Qui verò Prælatorum secus fecerit, præfatas pecunias, personalibus Fratrum necessitatibus applicatas, etiam quæ superfuissent, in alios usus Conventui quoque utiles, vel penitus necessarios absque expressa ejusdem Provincialis Capituli, seu Congregationis in scriptis obtenta licentia, quoquo pacto convertere ausus fuerit, mox officio & dignitate privetur, & ad cetera in posterum Religionis munera, & dignitates sit inhabilis, nec ad passivam vocem ullatenus restitui possit, nisi à tertio post perpetratam culpam Generali Capitulo, si ei videbitur.

VIII. Superioribus autem, qui ad necessaria decernenda, providenda, & dispen-

pensanda, ex vi Regulæ constituti sunt ordinarii iudices, quàm maximè invigilandum est, ne eorum curæ commissi Fratres indigentis, necessitatibus, & angustiis pressi, corporis & animæ pericula subeant, Discretè itaque, prudenter, ac (ut uno verbo dicatur) paternè prorsus, quæ necessaria erunt, unicuique etiam eorum familiæ minimo absque ullâ dilatione, absque increpatione, sed læto & hilari vultu impertiri curabunt.

XI. Econtrà verò Fratres omnes subjectos patienter sufferre decet, si quando urgente necessitate, sive per dilationem, sive alio quovis modo aliquantulum eos pati præter superioris optata contingeret. Ita enim procul dubio fiet, ut Superior subjectos Fratres, Fratresque subjecti Superiores vicissim omni charitatis officio prosequentes, sanctam, quietam, & ab omnibus seraphicæ Regulæ, sanctarumque constitutionum transgressionibus alienam, & immaculatam vitam traducant.

X. Quòd si Superiores Fratres ipsos non ut filios, sed ut servos, omni necessitati sive ex injuria, sive ex contemptu subesse patiantur; certissimum est, eos in deteriora lapsuros, & ad oculos contra jus, falsaque, & ad Constitutionum ipsarum, & Regulæ transgressionem sese conversuros.

XI. Quapropter nihil, quodeorum partium sit, omittant Prælati, ut supra gregem suum invigilent, ne commissarum eis ovium sanguis de manibus eorum requiratur; ac pro comperto habeant, quòd (ut inquit D. Gregorius) non potest esse pastoris excusatio, si lupus ovem rapiat, & Pastor nesciat.

XII. Regula verò, seu norma eorum, quæ necessaria, quæve superflua, & quæ diminuta fuerint dignoscendi, ea Superiori præscribitur, ut pensatis hinc inde loco, tempore, pretio, rebus ipsis, & aliis circumstantiis, triplicem necessitatem secernat, personarum nimirum exercitiorum, & meritum; personarum quidem; nam plura ægro quàm sano, seni quàm juveni debentur. Exercitiorum; cum pluribus egeat Regens quàm studens, artifex quàm ignarus, & iners: meritum demum; quia plura Patribus Provinciæ & Magistris, & magis Concionatoribus, quàm ceteris Patribus necessaria sunt. Providè igitur unicuique (ut opus fuerit) discretus Pastor, quæ necessaria sunt, distribuat; sic enim in primitiva nascentis Ecclesiæ ætate (ut apud Acta Apostolorum habetur) erant illis omnia communia; dividebatur autem singulis prout unicuique opus erat.

XIII. Superioris itaque arbitrium, & judicium æquis adeo conditionibus libratum

Fra:

Fratres omnes promptè sequentur, eique semetipfos (nisi de excessu vel defectu iudicii, & arbitrii notoriè aliquid constiterit) in omnibus conformabunt & coaptabunt.

XIV. Superiores autem, quidquid deponat Fratrum necessitas, per Officiales conventus in propriâ tamen specie, non verò in pecuniis Fratribus ipsis benignè, paternèque subministrabunt. Provisiones, seu annuæ præstationes, quæ Superioribus ipsis, seu aliis quibuscumque Conventuum Officialibus assignabantur, nullatenus deinceps ab ipsis conventibus tribuantur aut ullo modo à quibusvis, ipsis etiam eorundem Conventuum Officialibus exigantur. Qui autem aliàs Fratrum necessitatibus succurrere, seu quæcumque eis necessaria aliter subministrare, sive huic decreto contraire præsumserint, privationis officiorum eo ipso pœnam incurrant.

XV. Indiscretus autem Superior, qui naturæ simul & Regulæ jura, aut necessaria denegando, aut leviter superflua concedendo, seu aliàs quomodolibet violaverit, ab officio cecidisse se sciat.

XVI. Inquirant autem diligentiori examine Generalis Minister, & Provinciales in eorum visitationibus, num dispensationes hujusmodi æquè, ac juxta regularis disciplinæ statuta factæ fuerint: quòd si iniquè, & indis-

indiscretè factas esse compererint, severè in eos, ad quos spectaverit, animadvertant.

In C. VI. Regulæ Tit. 2. §. 4. Si quis autem Fratrum, postquam Urbanæ Constitutiones hujusmodi ad ejus notitiam pervenerint, omnia bona, quæcumque illa fuerint, sive eis de facto utatur, sive ea apud Sæculares ullo pacto detineat, non revelaverit, & conventui, cujus filius est, quantum ad omne & quodcumque jus eo ipso non resignaverit, omnium legitimorum actuum jure, & utraque voce biennio privetur, aliisque proprietariorum pœnis subjaceat. *Hucusque textus S. Constitut. Urbanarum. De mensa & communitate agitur in Constitut. Urbanis Tit. 19. in c. 3. Regula. De loco communi vestiarii, in quo omnia vestimenta Fratrum cum lanea, tum linea separatim tamẽ asservari debent, agitur tit. 25. in c. 2. Regul. vide ibi. Ubi notanter dicitur, quod singulorum vestimenta debeant separatim conservari in communi loco vestiarii: at de Fratrum particularium pecuniariis elemosynis supra in Decreto statuitur & mandatur, quod debeant in communi ærario Conventui incorporari, & confundi. Quas particulas explicans Hyacinthus Donatus Ord. Prædicat. Provincialis utriusque Provincia Calabria, tom. 3. in resolutoria praxi rerum regularium Tr. 15. q. 11. §. II. adducens verba Trident. Sess. 25. de Regularibus c. 2. ubi dicit: sed statim ea Superiori tradantur, conventuique incorporarentur, inquit: quid enim est incorporari, nisi*

confundi, vel misceri cum aliis bonis Monasterii sine ullo discrimine peculii? h. i. Ex quo liquido infertur, quòd non debeant singulorum pecunia separate separatim conservari; sed debeant confundi sine discrimine peculii, id est, ita misceri, ut discerni nequeant. &c.

CAPUT III.

Adducuntur verbo-tenus omnia Rescripta Magnatum hujus Provinciae Colonienfis, in quibus clementissimè suam protectionem & manutentionem adpromittunt Fratribus Minoribus Conventualibus pro exacta Observantia S. Constitutionum Urbanarum: eo ordine temporis recensentur, quò impetrata sunt successivè in visitatione Conventuum Provinciae.

RESCRIPTUM I.

Reverendissimi, & Illustrissimi Domini D. Horati Philippi, Dei & Apostolicae Sedis gratià Archi-Episcopi Thebarum, ac Sanctissimi Domini N. D. INNOCENTII divinà providentià Papae XII. Praelati domestici, & Assistentis, ejusdemque ac dictae S. Sedis Apostolicae ad Tractum Rheni, aliasque inferioris Germaniae partes cum potestate Legati à Latere Nuntii.

Ad-

Admodum Reverende Pater.

NON modicum quidem Paternitatis Vestræ literæ mihi gaudium attulerunt, dum ex iis intellexi, quòd eodem zelo, quò *Sancta Sedes in Ordine Seraphico necessariam Urbanarum Constitutionum observantiam impensè nuper præcepit, eandem Paternitas Vestra in incepta Provinciæ sibi creditæ visitatione, omni studio ac conatu promovere satagat; jamque spes sit, quòd ab omnibus (paucis dumtaxat exceptis, qui sinistra interpretatione utentes, à saluberrima hac lege declinare tentant) lubenti animo hæc eadem amplectenda veniat. Sicut autem Ego à Sanctitate sua in mandatis expressè habeo, ut pro tam pio opere exequendo Paternitati Vestræ omnem præbeam favorem, ita eandem suam velim, me pro viribus meis data occasione sibi non defuturum; omnemque (quatenus opus sit) lapidem moturum, ut devii aliquando in semitam mandatorum feliciter deducantur. Inceptum interea opus constanti labore perficiat Paternitas Vestra, neglectis contradicentium oppositionibus; Deus enim, qui mandat mandata sua custodiri nimis, illuminabit oculos eorum, ne amplius obdormiant: æternumque præmium suo tempore retribuet Paternitati*

52 *Rescripta Protectionis*
Vestrae. Cui cuncta prospera apprecatus,
maneo

Paternitatis Vestrae Adm. Reverendae

Officiosus ad omnia

Horatius Philippus Thebarum
Archi-Episcopus.

Colonia 23. Julii, 1699.

(L.S.)

RESCRIPTUM II.

Reverendissimi, ac Celsissimi Epi-
scopi ac Principis Monasteriensis.

FRIDERICUS CHRISTIANUS, Dei &
*Apostolicae Sedis Gratiâ Episcopus Monasteri-
ensis, Burggravius Serombergensis, Sacri
Romani Imperii Princeps, ac Domi-
nus in Borckeloh, omnibus has
visuris seu lectoris Salu-
tem in Domino.*

Quandoquidem certâ ad nos relatione
pervenit laudatissima Summi Pastoris
INNOCENTII XII. dispositio, quâ
cle-

clementissimè ordinat, ac *Fratribus Minoribus Conventualibus Provinciae Coloniensis* severè præcipit, ut veteri ac religiosæ paupertati conservandæ imprimis necessariæ *Urbanarum de vita communis observantia constitutionum* ordinationi omnino se conformare, omniaque, quæ ulla ratione illi contrariari possent, amoliri toto studio contendant, adeo, ut suo apud Colonienses Apostolico Nuntio hanc suam voluntatem significari, unàque seriò mandari jussit, ut observantiæ Constitutionum dictarum ad vigorem pristinum reducendæ, inque futura tempora firmiter stabiliendæ omnem, qua pollet, auctoritatem, & potestatis concessæ robur impendere constanter allaboret.

Hactam piâ seriâque Sanctissimi Patris dispositione, laudabili quoque Archi-Episcoporum, ac Episcoporum diversorum, eundem in finem communi consilio & auxilio conspirantium zelo, proprio quoque nostro, qui observantiam prædictam velut religiosæ paupertatis præcipuam custodem ac tutricem æstimamus, motu inducti perlibenter annuere, & gratiosissimè deferre voluimus desideriis *Patris Antonii Wissingh Provinciae Coloniensis Fratrum Minorum Conventualium Ministri Provincialis*, quando porrecto Nobis libello supplici, nostram ad promovendum opus tam laudabile assistentiam demissè, ardentè implo-
ravit.

Quam sicuti ad majorem Dei gloriam,

Ordinisque, ac Provinciae imprimis Colonien-
 sis felicitatem, ac decus, perlubenter adpromit-
 timus, & indulgemus; ita omnes Ordinis, ac
 Provinciae istius Religiosos, eos praecipue, qui
 in Monasteriis nostrae Diceceseos commoran-
 tur, paternè in Domino commonemus, ut lau-
 datissimae Summi Antistitis, ac Superiorum su-
 orum, in iisque praecipue moderni Provinciae
 Moderatoris intentioni non solum non contra-
 rari, sed concordibus animis, communique ze-
 lo se conformare obedienter studeant. Secus
 si contigerit, non tantum gratia nostra, & pro-
 tectione indignos se reddent, sed & irreligiosae
 libertatis, & inobedientiae, pro ratione potesta-
 tis nostrae, vindices habebunt. Sed meliora spe-
 rare volumus de viris, qui *Sanctissimi pariter-
 que pauperrimi Francisci* vitam & Regulas se
 religiosa professione & habitu sectari conte-
 stantur.

In quorum fidem hasce literas manu & sigil-
 lo nostris munitas dedimus in Arce nostra A-
 hufana, Anno millesimo sexcentesimo nonage-
 simo nono, die verò quinta Mensis Sep-
 tembris.

FRIDERICUS CHRISTIANUS.

(L.S.)

RE.

RESCRIPTUM III.

Reverendissimi, ac Celsissimi Epi-
scopi, ac Principis Paderbornensis.

HERMANNUS WERNERUS, *Dei &*
Apostolica Sedis Gratiâ, Episcopus Pader-
bornensis, Sacri Romani Imperii
Princeps, & Comes Pyr-
montanus.

CUM Pastoralis nostro officio incumbat,
debitumque exigat, & exoptulet, ut lau-
datissimas Summi Pastoris dispositiones
eâ, qua par est, reverentiâ exequamur; illisque
etiam omnis assistentia præbeatur, qui hac in
parte suum studium impendunt; de Sux verò
Sanctitatis intentionis dispositione commoni-
ti, qualiter nempe clementissimè demandavit,
Fratribusque Minoribus Conventualibus Sancti
Francisci Provincie Coloniensis injunxit, ut
veteri ac religiosæ paupertati conservandæ, im-
primis necessaria *Urbanarum de vitæ communis*
observantia Constitutionum ordinationi peni-
tus se submittere, omniaque & singula, quæ
quavis ratione illi derogare possunt, omni stu-
dio evitare nitantur, & hac super re, suo apud
Colonienses Nuntio Apostolico voluntatem
suam indicari, seriòque mandari jusserit, ut illi-

bata Constitutionum dictarum observantia ad pristinum reducatur vigorem, inque futura tempora incorruptibiliter firmetur, omnem suæ potestatis Auctoritatem Apostolicam impendat, & enixè conetur.

Seriò hoc sanctissimi Patris mandato, variorum Archi- & Episcoporum, & Episcoporum, eum in finem communi tendentium voto & consilio, proprioque etiam nostro zelo inducti, *Patris Antonii Wissingh Provinciae Colonien- sis Fratrum Minorum Conventualium Mini- stri Provincialis* Libello supplici assentientes, qui nostram ad hanc laudabilem intentionem exequendam Assistentiam submississimè implo- ravit, gratiosissimè deferimus, omnem ad hoc operam adpromittentes. Cunctos istius Or- dinis Religiosos, præcipuè in hac nostra Dice- clesi in *Herstell* degentes, quamdiu ibi tolera- buntur, & alios jurisdictioni nostræ Ecclesiasti- cæ subjectos paternè in Domino commone- mus, ut laudatissimi Sanctissimi Patris, & Superi- rum suorum præcipuè moderni Provincialis, ad majorem Dei gloriam, Ordinisque, ac Provin- ciæ imprimis Colonien- sis felicitatem, & incre- mentum tendentis intentioni non solum non refragentur, sed & unanimi studio, ac ferventi zelo morigerè sese submittant: scientes, in contrarium eventum, protectione & gratia no- stra sese indignos fore, & inobedienciæ religio- sæ & laxæ libertatis vindices nos habituros.

Me-

Meliora tamen de illis, uti secundum Regulam sancti Francisci, veræ paupertati incumbentibus sperantes, & in Domino confidentes.

In quorum fidem hæc literas manu & sigillo nostro munitas dedimus in Arce Residentiæ nostræ Neuhusanæ, decima octava Septembris, Anno 1699.

HERMANNUS WERNERUS.

(L. S.)

RESCRIPTUM IV.

Reverendissimi ac Celsissimi Principis ac Abbatis Corbejenfis.

FLORENTIUS, *Dei & Apostolicae Sedis Gratiâ, Liberae & Imperialis Ecclesiae Corbejenfis Abbas, Sacri Romani Imperii Princeps.*

CUM certa ratione nobis innotuerit, quòd Sanctissimus Dominus N. D. INNOCENTIUS Papa XII. *Fratribus Minoribus S. Francisci Conventualibus* Provinciae Coloniensis seriò demandârit, quatenus veteris

Franciscanae paupertatis memores, *vita communis observantiam, juxta Urbanarum Constitutionum rigorem* amplecterentur, Ordinemque suum hac ratione pristino splendori, æstimationique restituerent: atque piissimam voluntatem suam hac super re Nuntio suo Apostolico Coloniensi patefecerit, quo collaborante, auctoritatemque suam interponente, dictæ Constitutiones in illius Provinciæ Monasteriis facilius redintegrari, sanctiusque custodiri possent.

Hinc laudatissima hac Sanctissimi ac Summi Ecclesiæ Directoris voluntate atque mandato excitati, aliorum quoque Archi-Episcoporum, Episcoporumque commendatissimo zelo ac exemplo, ac libello supplici *Patris Antonii Wissingh Provinciæ Coloniensis Fratrum Minorum Conventualium Ministri Provincialis* non gravatè annuimus, ac gratiosè deferimus, quibus assistentiam ac operam nostram ad pium hoc opus, quoad Conventum Huxariensem in praxin redigendum impensè imploravit; Cui proinde pro majori Dei gloria, sanctique hujus Ordinis, præsertim sæpe fatæ hujus Provinciæ Coloniensis decore, ac incremento, omnem pro posse nostro industriam & assistentiam in hunc finem addicentes, Cunctos ejusdem sacri Ordinis, cum primis memorati Conventus Huxariensis Jurisdictioni nostræ Ecclesiasticæ subjectos Religiosos adhortamur in Domino, ut mandatis Pontificiis moram gerent.

rentes, laudatissimæ Superiorum suorum, ac præsertim antè memorati Patris Provincialis intentioni hac in parte sese plenè conforment: Scientes se præter Omnipotentis Dei temporalem & æternalem benedictionem, gratiam quòque & benevolentiam nostram exinde uberiores, nec non subditorum nostrorum largiorem munificentiam, & amorem; Secus verò (quod minimè speramus) severiora pro ratione potestatis nostræ ad consequendum hunc finem media experturos.

In quarum fidem hæcce literas manu & sigillo nostrò munitas dedimus in Residentia nostra Corbejensi vigesima secunda Septembris, Anno 1699.

FLORENTIUS m. p.

(L. S.)

RESCRIPTUM V.

Eminentissimi ac Reverendissimi

Archi-Episcopi Electoris Trevirensis.

JOANNES HUGO, *Dei Gratiâ Archi-Episcopus Trevirensis, Sacri Romani Imperii per Galliam & Regnum Arelatense Archi-Cancellarius, ac Princeps Elector, Episcopus Spirensis, Administrator Prümienfis, ac Præpositus Weisenburgensis*, omnibus hæc literas visuris, seu legi auditoris salutem in Domino.

Cùm

CUM ex parte Religiosi nobis dilecti Pa-
 tris Antonii Wissingh Provinciae Coloni-
 ensis Fratrum Minorum Conventualium
 Ministri Provincialis decenter expositum sit,
 quemadmodum Sanctissimus D. N. INNO-
 CENTIUS XII. Summus Pontifex praedicti
 Ordinis regulari disciplinae ad primævum suum
 vigorem reducendae paterna sollicitudine inten-
 tus, suo ad Tractum Rheni Nuntio Apostolico
 in mandatis expressè dederit, singulis etiam
 Religiosis memoratae Provinciae & Ordinis di-
 strictè praecipiendo, ut *Urbanas de vita commu-
 nis observantia Constitutiones*, conservandae re-
 ligiosae paupertati non minùs salutare, quàm
 necessarias, ad pristinum usum & effectum,
 omni qua possunt ope revocare contentur; Nos
 proinde Sanctitatis suae paternae intentioni, eo
 quo parest, cultu morem gerentes, uti praefa-
 tam observantiam velut praecipuum paupertatis
 ac perfectionis religiosae vinculum meritò
 consideramus, ita dicti Patris Provincialis, de
 cuius zelo, virtutumque meritis plurimùm con-
 fidimus, justis desideriis favorabiliter inclinati,
 officia nostra quævis pro executione adeo lau-
 dabilis intenti libenter impendimus; harum te-
 nore omnes & singulos illius Ordinis Religio-
 sos in Monasteriis Archidiececesis nostrae com-
 morantes seriò commonemus, ut Sanctae Sedis
 Oraculo, ac Superiorum suorum monitis quoad
 hæc omnia se conforment, eoque religiosae re-
 signa-

signationis medio communi Ordinis sui bonum & augmentum unitis animis promovere sedulo contendant: si secus evenerit (quod de Viris Religiosis minimè præsumendum erit) Ordinariatûs nostri congrua officia pro consequendo Mandati Pontificii effectu ulterius applicare non desinemus. In quorum fidem hæc manu nostra subscriptas sigillo nostro jussimus communiri. Dabantur in Residentia nostra Ehrenbreitstein/ sexta Novembris 1699.

JOANNES HUGO Archiep.
Trevir. Elector.

(L. S.)

NB. Huic clementissimo Rescripto dignatus est Eminentissimus accludere sequentes pari clementia plenas literas.

Adm. Reverende in Christo Pater.

EX Reverendæ Paternitatis Vestræ literis de sexta Octobris mihi ritè consignatis pluribus intellexi, quatenus Reverenda Paternitas Vestra ad mentem Sanctissimi Domini Nostri, juxta Rescriptum Nuntiaturæ Coloniensis de super eidem exhibitum, pro reformatione Ordinis sui *Urbanas Constitutiones de*
vita

vita communis observantia ad usum reducere intendat, eoque fine protectionem meam ordinariam pro Monasteriis Archidiecepsi meæ subiectis implorare voluerit; uti verò hic de regularis disciplinæ reductione, ac religiosæ perfectionis argumento cum primis agitur, ita pro assecutione pii ejusmodi intenti omnem assistentiam libenter addico, & patentes eum in finem requisitas (in quibus si quid fortè mutandum, aut addendum foret, Reverendæ Paternitatis Vestræ mentem desuper expectabo) hisce jungo, omnino sperans, illas mediante suo laudabili zelo & fervore desideratum effectum habituras: quod cum animitus opto, Reverendæ Paternitati Vestræ felicia quævis apprecor, & permaneo

Reverendæ Paternitatis Vestræ

Semper addictus

Joannes Hugo Archiep.
Electo Trevir.

Ehrenbreitstein /
Sexta Novembris, 1699.

RE-

RESCRIPTUM VI.

Serenissimi ac Reverendissimi
Archi-Episcopi Electoris
Coloniensis.

JOSEPHUS CLEMENS Dei Gratia Ar-
chi-Episcopus Coloniensis, Sacri Romani Impe-
rii per Italiam Archi Cancellarius, & Princeps
Electoꝝ, Legatus natus Sancte Sedis Apostolicae,
Episcopus Ratisbonnensis ac Leodiensis, Coadju-
tor Hildesienſis, Administrator Berchtesgaden-
ſis, utriusque Bavariae, nec non Superioris Pala-
tinatus, Westphaliae, Angariae, & Bullonii
Dux, Comes Palatinus Rheni, Landgra-
vius Leuchtenbergensis, Marchio-
Franchimontensis, Comes
Lossensis, Hornensis.

CUM Nobis pro parte Religiosi Nobis
dilecti ac devoti P. Antonii Wissingh
Provinciae Coloniensis F. Fr. Minorum
Conventualium Ministri Provincialis innotu-
erit laudabilis ejusdem zelus, quo fertur ad *vita*
communis observantiam, secundum Constitutio-
nes Urbanas inter Fratres curae suae concreditos,
juxta mentem Sanctissimi Domini Nostri IN-
NOCENTII XII. introducendam, idque
Nobis medium ad propagandum Dei amorem,
sta.

stabilendamque mutuam inter Fratres charita-
 tem, quæ per frigida illa verba *meum*, *actuum*
 facilè remittit, maximè proficuum videatur;
 Nos pro singulari nostro erga prædictum Or-
 dinem benignissimo affectu, non modo piissi-
 mum memorati Provincialis desiderium cle-
 mentissimè approbamus, eidemque Archi-
 Episcopalem operam nostram ad perficien-
 dum opus tam salutare ac necessarium polli-
 cemur; sed & insuper vigore præsentium de-
 claramus, ne per vitæ disparitatem decor Ordi-
 nis hujus Seraphici diminuatur, gratissimum
 Nobis futurum, ut per hanc Archidiecepsi no-
 stram omnes & singuli Regulares illius dire-
 ctioni commissi, quoad paupertatis studium
 voluntati Beatitudinis suæ morem fideliter ge-
 rant, idemque omnes ac singuli acutum sapi-
 ant: ac si qui sint, qui intentioni tam sanctæ
 se submittere renuant, ex hac Archidiecepsi no-
 stra, ad tollendum omne scandalum, divisio-
 nemque vitandam, ante hujus anni labentis
 terminum perpetuò excedant, atque ex eo
 tempore tamquam notorii violatores jussuum
 Apostolicorum, & Instituti sui corrupto-
 res, ad celebrandum in Archidiecepsi No-
 stra Sanctissimum Missæ Sacrificium nullibi ad-
 mittantur. In cujus rei fidem hæc Manu
 Nostra subscriptas Electorali Sigillo nostro
 jussimus communiri. Bonnæ in Festo *Sancti*
Martini Episcopi, qui pauper & modicus
 cælum

Archi-Episc. & Principum. 265
cælum dives ingressus est, ac hymnis cælestibus
honoratus. An. Dom. M. D. C. LXXXIX.

JOSEPH CLEMENS
ELECTOR. m. p.

(L. S.)

RESCRIPTUM VII.

Eminentissimi ac Reverendissimi
Archi-Episcopi Electoris
Moguntini.

NOS LOTHARIUS FRANCISCUS, *Dei*
Gratiâ Sanctæ Sedis Moguntinæ Archi-Episco-
pus, Sacri Romani Imperii per Germani-
am Archi-Cancellarius, ac Princeps
Electoꝝ, Episcopus Bam-
bergensis &c.

Universis has nostras literas inspecturis Salu-
tem in Domino sempiternam.

Quemadmodum ex Ordinibus Religio-
sis, quamdiu eorundem professores
per Regularum, Statutorum, & Con-
stitutionum Apostolicarum observantiam in

E

pri-

primæva sua puritate persistunt, maximum in Ecclesiam Dei redundat emolumentum, in populum Christianum ædificatio, & in Religiosos ipsosmet, præter internam mentis consolationem, externum encomium, & singularis æstimationo; ita triste Ecclesiæ Dei, populo scandalosum, ipsis Religiosis coram mundo periculosum est, si à Regula, Statutis, Bullis Pontificiis, strictâ votorum observantiâ ad laxitates defluant; ac re ipsa esse non velint, quales se nomine-tenus coram mundo præsententur. Quod quidem etiamsi universim intolerabile sit, in recessu tamen ab *observantia Voti Paupertatis* (quo præcipuè à Clero seculari distincti sunt) turpitudinem continet specialem, quod si pretiis, quæ in mundo ipsis possidere licebat, post professam paupertatem iterum possidere velint, quod jam non licet: quod cum de radice cupiditatis omnium malorum origine sine dubio procedere noscatur, innocentiam suam in reliquis vehementer faciunt suspectam, dum cupiditati in hac parte obsequuntur. Quæ res Nos movit, ut pro parte nostra clementissimè inclinemur ad ea, quæ in Ordinibus Religiosis laudabiliter conserventur, corroboranda, ea verò quæ collapsa sunt, admonitione, & quacumque alia via possibili erigenda.

Cum igitur P. *Antonius Wissingh Fratrum Minorum Conventualium Provinciae Colonien-sis Provincialis*, porrectis precibus humillimè supplicaverit, ut eidem in reintroducenda vita
com-

communi, eliminata omni proprietate (cujus ultimi turpitudinem, & prioris meritum edito Tractatu satis expressit) Auctoritate Archiepiscopali assistere dignaremur; Nos precibus ejus tantò magis inclinati, quòd Nobis de sanctissima præteritorum, & modò regnantis INNOCENTII XII. Pontificum, ac Cardinalium intentione, opus tam laudabile prosequendi constet: omnes Religiosas Personas dicti Ordinis *utriusque Sexus*, præcipuè verò in Archidiocesi nostra existentes paternè in Domino monemus & adhortamur, ut seclusà proprietate, *juxta Bullas Pontificias, maxime Urbani VIII. vitam communem amplectantur*, & habentes alimenta, & quibus tegantur, juxta Regulam Apostolicam, his contenti sint; quod eosdem non gravatè facturos speramus, immò confidimus, eò magis, quòd summa paupertas præcipuum fuerit patrimonium *S. Patris Francisci*, res Deo grata, populi ædificatoria, ipsisque Fratribus salutaris. Quòd si verò (quod absit) in nostra Archidiocesi quidam huic admonitioni acquiescere nolint, Nos iis, quibus poterimus, mediis, dicto *Patri Antonio*, & ejus in officio Successoribus tam sanctum opus promoturis efficaciter assistemus, atque Auctoritate Archiepiscopali tueri numquam desinemus. In cujus rei fidem præsentem has litteras manûs nostræ propriæ subscriptione, & Sigilli nostri secreti appensione communivimus

Rescripta Protectionis
 mus, datas ex Arce nostra Geybacensi, vigesima
 mensis Novembris, Anni millesimi sexcentesi-
 mi nonagesimi noni.

LOTHARIUS FRANCISCUS

A. M. E. m. p.

(L. S.)



*NB. Pramissis his Magnatum clementissi-
 mis Rescriptis sub prelo typographico sudanti-
 bus, Româ de secunda Januarii incipientis hujus
 Anni Sancti millesimi septingentesimi, advene-
 runt hic Colonia hac 19. Januarii, 1700. Literæ
 Ministro Provinciali Antonio Wissingh in-
 scriptæ, in quibus intentioni pia, ac Operi sancto
 readpromittitur Clementissima*

PROTECTIO

Eminentissimi, ac Reverendissimi Principis,
 ac Domini

D. LEANDRI COLLOREDI,

S. R. E. Cardinalis Amplissimi, Protectoris
 nostri Clementissimi, &c.

hisce formalibus.

Adm.

Adm. Reverende Pater.

ADvenerunt tandem libri, quos P. T. Venetias submiserat. -- Reliqua exemplaria Eminentissimis D. D. Cardinalibus, ac piis, sanctæque observantiæ amantibus Viris offeram; ut divitias Sanctæ Communitatis agnoscant, illamque pro viribus tueantur. -- Agam tamen prius cum Summo PONTIFICE M. (si Deus dignabitur, quemadmodum confidimus, pristinæ illum sanitati restituere) ut sua auctoritate fulcire non desinat redivivam hanc observantiam, quam sedulitas tua feliciter incepit, ac, Deo dante, felicius promovebit. -- A Deo, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, precibus implorandum. Sospitem te interim Deus hoc ineunte anno conservet. -- Vale. Romæ 2. Januarii, 1700.

*Adm. Reverenda Paternit. T.**Amantiss. ac addictissimus**L. Cardinalis Colloredus.***E 3****Dc-**



Devotissima, reverentissima, ac
humillima

Gratiarum actio, simul & obtestatio
ad

Reverendissimos, Sereniss. Eminen-
tiss. Celsiss. Illustrissimosque, respectivè, Dominos
D. D. Archi-Episcopos, Electores, Episcopos, ac
Principes Dominos nostros Clementissimos: in
quorum territoriis vel Conventus vel Residentias
incolunt, aut pastorali cura deserviunt
FF. Minores S. Francisci Conventu-
ales Provinciae Colonienfis,

Clementissimi Domini mei.

Merito Reverendissimis vestris Serenitatibus,
Eminentiss, ac Celsitudinibus submississima ge-
nuum incurvatione, manumque Sacrarum deoscu-
latione ad vobis supplex, gratias in primis humili-
mè rependens nomine totius Seraphici Gregis hujus
nostrae Provinciae, mei ministerii imbecillitati con-
credita, quòd desiderata protectionis gratiam cle-
mentissimam cum inclinatione causa Dei & Ordinis
nostri addicere dignati fueritis; per quam opus
Dei jam tum aliqualem sortiri incipit profectum,
at nondum perfectum. Hinc, quoniam Dei perfecta
sunt

sunt opera (Deut. 32. 4.) & perfectam rem faciet
Deus (Iudith. II. 4.) perfectionis huius statum sine
ulteriore vestra clementissima assistentia & manu-
tenentia opus inchoatum vix assequetur ; nisi ad
S. Sedem Apostolicam causa hac deferatur , arctius
recommenda, confirmanda , stabiliterque pro fu-
turo precipienda , & ita terminanda ; ne propter
humanorum propositorum labilem mobilitatem can-
crino relabatur gressu , cui ipsa quoque natura cor-
rupta & malis habitibus praeimbuita non segniter
cooperabitur ; maxime si fetus natus uberibus pro-
priae matris abstrahatur, & mercenaria nutrice com-
mittatur.

Possent quidem memetipsum consolari, causamque
hanc inceptam tenello ramusculo prodeuntem diuina
Providentia committere, ac dicere : si est ex homi-
nibus consilium hoc , aut opus, dissolvetur : si vero
ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte &
Deo repugnare videamini (act. 5. 39.) Poteram &
ipse solus proprio ore, genu, & calamo S. Sedi Aposto-
lica supplicari fieri: at in hoc sollicitiorem me esse iussit
verbo & exemplo suo S. P. N. Franciscus , scientem
utique, quod Sancta Sedes soleat (& merito) citius
credere, arctius cordi sumere, libentius expedire, fir-
mius precipere, gloriosius authenticare , ac tandem
efficacius assistere his, qua mediante Magnatum au-
thoritate ac recommendatione, Apostolica authorisa-
tis ac firmitatis robur exposcunt. Proinde etiam in
negotiiis extraordinariis , v. g. Canonizatione San-
ctorum, Ordinum Religiosorum , ac Monasteriorum
erectione, &c. non nisi praevia Magnatum prava-
lente interlocutione, ac asstimabili instantia, credere,
annuere, jubere, decernere ac expedire ferme consue-
vit Sancta Sedes.

Immo possent & aliunde indirecte quarere animi
mei tranquillationem, & in incepto proposito conso-
lidationem, ex aurea videlicet doctrina, quam amo-

roso corde & calamo instillat magnus divini amoris amator ac Orator, Praejulumque nobile Speculum S. Franciscus Salesius l. 9. de amore Dei, c. 6. dicens: Persæpe Deus, ut nos in sancta indifferentia exerceat, inspirat nobis res multum sublimes, quarum non ideo vult successus: & tunc, sicut fiducialiter, animosè, & constanter res illas incipere, & prosequi debemus, quantum valeamus; ita suavi & magna cum tranquillitate, illi evento, quod placuit Deo nobis dare, acquiescere, h. i. Attamen, ut hanc ejus doctrinam amplectar, aliam, quam ibidem pramittit, non obliviscar, quâ pramonet: Scio perbellè, quòd præstolans eventum, quem ejus beneplacitum ordinavit, per voluntatem declaratam velit, ut omnia convenientia remedia adhibeam ad finem assequendum. Adhibebo igitur fideliter, nihil obliviscens, nihil omittens eorum, quæ quoquo modo habere potero ad obtinendum finem, h. i. Vestram ego quoque clementissimam protectionem ratus sum medium optimum ad propositi mei finem.

Quapropter vestram vobis innatam clementiam per amorem S. P. N. Francisci devotissimè obsecro, & humillimè obtestor, ut in hac causa Seraphici Ordinis ejus perficienda, ac consummanda ostendere dignemini vestrum piissimum zelum, &, quantum diligatis Christum, ac Sponsam ejus S. Ecclesiam, cujus non ultima portio est congregatio Religiosorum beneformatorum, & perfectam in unitate sancta communitatem sectantium. Vos ergo (quos S. Tridentina Synodus vocat Ecclesia defensores) hanc Ecclesia portionem, seu minorem Portiunculam defendite, ac protegite, sat agentes pro restituendo ejus decore, ampliando Dei honore, ac reducendo pristino hujus Religionis flore. Vestris Archi- & Diocesibus major accrescet inde gloria, salus uberior animabus, adificatio amplior in populo, species venustior in regulari Clero, si per vestram clementiam, Archi- & Episco-
pa-

palem auctoritatem, ac recommendationem apud S. Sedem Apostolicam, cum aliis bene formatis S. S. Ordinibus Regularibus etiam Ordo Noster faciem suam renovarit interius & exterius in hoc Anno Sancto.

Verum quidem est, quod, sicut res omnes, quae sub Sole sunt, sic & quilibet status hominum suas patiuntur vicissitudines; hinc ascendunt subinde, & descendunt de gloria ad ignobilitatem, de rigore ac vigore ad laxitatem; ex temporum id oritur varietate, hominumque mobilitate; vix enim quidquam sub Sole in statu suo permanet. At, si descenderit, non sequitur illico, quod numquam reascendet. Mutatio dextera excelsi in hoc Anno Sancto nova faciet omnia, si Vos omnipotenti Dextera Dexteras vestras junxeritis. Tunc utique Ecclesiam Dei fetu nova prolis latari facietis; id quod cedit in perpetuam gloriam, exaltationem, & coronam Gloriosissimi Nominis Vestri. Sicque fiet, ut, jubilantibus in hoc Anno Sancto Sancta Urbis incolis, conjubilent quoque sancta ac nova latitia singuli Conventus nostri in vestris territoriis ac Provinciis, sub vestra protectione, ac defensione induti novum decorem, vigorem, & honorem. Cum quibus ego perpetuo me vestris mancipando servitiis, ac clementissimis inclinando nutibus, maneo semper

Reverendissimarum, Sereniss. Eminentiss.
Illustriss. Celsitudinum Vestrarum

Servus infimus ac humillimus
F. A. Wissingh, Mnr. Prov.

CONCLUSIO

Ad Patres , & Fratres.

EN, Patres mei, ac Fratres, in Christi IESU visceribus dilectissimi, aliud specimen solliciti laboris mei pro vobis parvum in charta, magnum tamen in charitatis affectu pro salute vestra! Eja nunc omnes animosè, gaudiosè, generosè nos resolvamus, concludamus, ac respondeamus cum Reverendissimo P. N. Felice Rotondi, in Articulo 16. Responsonum ad modernum Summum Pontificem SS. D. N. INNOCENTIVM XII. & dicamus ex corde, prout verba in illis sonant: Omnes Religiosi Familix, & studii in Conventu S. P. N. Francisci (Colonia, & in aliis Conventibus Provincia Coloniensis] ostendunt se amatores de observantia suæ Professionis. Omnes secundùm suam conditionem & gradum conveniunt NB, in exacta observantia Constitutionum Urbanarum, quas voto solemniter sunt professi; nec ullus contradicit, aut se opponit; sed omnes acquiescunt uniformiter ordinationibus circularibus, & pastoralibus, quæ fiunt aut factæ sunt tempore visitationis à Ministris Provincialibus, &c. h. i.

Vota tot Reverendissimorum, Eminentiss. DD. & Cardinalium, & Magnatum plurimorum aliorum vos excitent, consolident in bono, ac conservent. Librum de S. Communitate, quem ante annum pro meo & vestro profectu typo evulgavi, legere & relegere non desistite; Sanctorumque Patrum, ac Ordinum Fundatorum sancta documenta, & monumenta inde depromite, illaque vobis ut vita nova in anno novo formam & normam præfigite. Utinam, quæ
in

Archiepisc. & Principum. 75

in eo scripta sunt, adimplerentur à me & vobis! Hoc
à ipsum clementissimo voto quoque desideravit Emi-
nentissimus & Reverendissimus Cardinalis Pauluti-
us Archi-Episcopus Ferrariensis; [cujus, dum hic
Colonia Nuntii Apostolici Pralatione fulgeret, ma-
nuum Sacrarum osculo, & benedictione gavisus fui
in initio ministerii mei.] Hic, dum dictum de S.
Communitate Librum (partum literarii laboris
mei, seu potius gratia Dei) accepisset, & legisset, sic
mea exilitati dignantissimè scribendo, clementissima
vota sua pro Seraphica Religione nostra significare
dignatus fuit.

Adm Reverende Pater,

Quod primùm concupieram, accepi unà cum li-
teris Paternitatis Vestrae Libellum, cujus studio
non parum recreatus, pietatem, virtutemque ejus-
dem miratus sum. Utinam, quæ in eo scripta sunt,
adimplerentur! ac, vitâ Religiosorum in commu-
nem redactâ, zelo Paternitatis Vestrae, ceterorum-
que omnium, qui de Religione bene sentiunt, esset
satisfactum! Interea verò, cum Paternitas Vestra
conatus suos litterarios in id bonum tetenderit, ope-
ris merito non fraudabitur, laudem plurimam asse-
cuta. Cui quidem labori ego vel addens testimo-
nium existimationis meæ, Paternitatem Vestram
summo opere commendo, ac gratias pro favore re-
pendens, felicitatum omnium eidem apprecor in-
crementa. Ferraria, secundâ Novembris, 1699.

Paternitatis Vestrae

Studiofissimus

F. Cardinalis Paulutius.

(L. S.)

Dig-

Dignatur hic Eminentissimus Cardinalis Archiepiscopus, ad exprimendum suum piissimum zelum, & clementissimam inclinationem pro Religione nostras dicere: **VTINAM!** Hoc utinam nos legitime implebimus, si ritè diuiserimus in uti nam; victuri profuturo.

UTI- Lex docet;
NAM Lex urget.

Fiat, Fiat



NB. Originales literas, atque Originalia Rescripta variorum Reverendiss. Eminentiss. Sereniss. Cel-
sissimorum, Illustrissimorumque S. R. E. Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, Principum, ac Magnatum, cum propriis propriarum manuum eorum subscriptionibus, ac Sigillis inviolatis, in premissis his paginis typo evulgata, nobis esse ad videndum, & legendum exhibita, & insuper à nobis visa & lecta, attestamur hac 22. Ianuarii. Anni millesimi, septingentesimi.

Fr. Christophorus Fürstenberg
Secretarius Provincia m. p.

Fr Georgius Richermo
Custos Colonienfis m. p.

VO-

VOTUM FINALE

ad

Seraphicum Patrem ac Fundatorem

S. FRANCISCUM.

Coram Te, Seraphice Pater, ac Fundator, Pauperumque Patriarcha & Francisce, supplex in genua provolutus gemo, oro ac obtestor, voce, vultu, ac mente, lacrymis, suspiriis, ac precibus : Respice de Calo Vineam istam, Religionem tuam ac nostram, quam planta vit Dextera tua. Cura sollicitè, ne demoliantur illam peculiaritatis illicita, aut proprietatis abominanda clam irrepentes vulpecula. Conserva in hac vinea tua Torcular tua Sacra Regula, quam tibi dicta vit tuus ac noster piissimus Redemptor IESVS CHRISTVS; ut sub illa viventes exprimamus vina meritorum in Sancta latitia, iisque repleamus conscientiarum nostrarum vasa. Sepi quoque tenebam vineam hanc firmo sepimento, scil. exacta observantia S. Constitut. Urbanarum; ne aperferus irruat, ne animarum hostis Diabolus ulli ex vivis palmitibus noceat, ne devoret, ne destruat, nec ullatenus dominatum exerceat in illa. Irriga illam salutiferis tuis lacrymis: fecunda illam Sanctis tuis, tuorumque sequacium exemplis: & ut divinorum gratia radiorum frequentius illustretur fulgoribus, foveaturque ardoribus, Tu tuis obtine precibus, ac infatigabilibus gemitibus. Recordare vinea hujus, in qua laborasti, pro qua sudasti, cui tam ardua poenitentia exempla reliquisti.

Tu Gregi tuo provide, ne lupus ovem rapiat, &


Pa-


Pastor nesciat. Defende Gregem, conserva Legem.
 Accede, & confuge cum Thaumaturgo tuo ac nostro
 S. Antonio Patavino, Doctore Seraphico S. Bonaven-
 tura, ac omnibus Sanctis tuis Filiis, ac Filiabus ad
 Thronum Divinae Majestatis, ad Sacra V. Domini
 Nostri IESU CHRISTI Vulnera, ad Sanctissima Vir-
 ginis Matris Deipara securissimum patrocinium:
 Ora, obsecra, & in omnia Sancta nos recommenda;
 ut (sicut hac die, in octava scil. Epiphania, in qua
 hac scribo, canit S. Mater Ecclesia) NB. intus refor-
 mari mereamur. Si enim non intus; diu durare non
 poterit reformatio affectata forinsecus (ex Dio-
 nys. Cartus. l. de reform. claustral.)


Pater Sancte conserva hanc Familiam tuam tibi
 per sacra vota consecratam: compagina, & conti-
 ne singula membra ejus in unitate, charitate, in ex-
 acta communitate, in perfecta Sanctitate, in vinculo
 pacis. In funiculo distributionis lega Filiis tuis a-
 morem religiosa paupertatis: (nam sine illo crescere
 non poterimus in terra paupertatis nostra) ut ita
 in nobis intus reformatis glorificetur Deus & Pater
 D N. IESU CHRISTI, cum eodem dilectissimo Filio
 suo, ac Sanctissimo Spiritu Paraclito, ac tota ca-
 lesti Curia. Latetur quoque S. Mater Ec-
 clesia, dum viderit, quod quotidia-
 ni profectus, ac fervoris
 nostri non sit


FINIS.




















SANCTA COMMUNITAS.

Th
2876